

**eum** omnes anime creabiles possunt eē create ergo omnes anime quarum quelibet est creabilis possūt esse create tenet consequentia quia anime creabiles et anime quarum quelibet est creabilis conuertuntur. Item bene sequitur. Iste sunt anime quarum quelibet est creabilis ergo iste possibiliter sunt demōstrādo omnes quarum quelibet est creabilis alias subiectum antecedētis non supponeret et ultra iste possibiliter sunt ergo iste possunt esse creabilia. Item iste quarum quelibet est creabilis sunt hoc creabile et hoc creabile et sic de singulis ergo sunt creabilia. Item iste anime quarum quelibet est creabilis possibiliter sunt anime ergo creabiles. Item tunc ista omnis chimera currit non haberet singularem quia subiectum non verificatur de aliquo hoc quidam cōcedunt licet sit vniuersalis sed contra tunc non quelibet singularis eius esset falsa. Dico preterea q̄ impossibilia et chimera possunt demōstrari scilicet ad intellectam et ideo non videtur bene dictum q̄ demōstratio qua demonstrantur omnes anime creabiles sit impossibilis. Dicendum igitur q̄ hec est vera in sensu diuiso capiēdo omnes distributiue omnes anime creabiles possunt esse create non autem capiēdo omnes collectiue quia tunc subiectum non supponit vnde nec deus in infinitis partib⁹ hōre posset producere omnes animas creabiles. Ad aliud dicitur q̄ illa ratio bene probat q̄ in naturalibus non reperitur infinitum.

**Ad sextum** respondet. S. T. hicet in secūdo dis. xxx. q. ij. ar. ij. q̄ licet corpus mathematice. idest de genere quantitatis acceptum sit diuisibile in infinitum corpus naturale non est diuisibile in infinitum in corpore enim mathematico non consideratur nisi quantitas in qua nichil inuenitur diuisioni repugnans. Sed in corpore naturali inuenitur forma naturalis que requirit determinatam quantitatem sicut et alia accidentia vnde non potest inueniri quantitas in specie carnis nisi infra aliquos terminos determinata. Dico preterea q̄ non omne continuū ē diuisibile in partes sic q̄ vna possit separari ab alia vt patet de celo. Item nasus hominis est eiusdem speciei essentialis cum homine et tamen non potest per se esse sicut homo. Forte negas primam partem sed probatur quia nasus hominis componitur ex materia et forma eiusdem speciei cum toto homine. Itē nasus hominis continuatur alijs partibus ergo est eiusdem speciei cum eis. Dico preterea q̄ de ratione continui est esse diuisibile. idest q̄ habeat partem realiter distinctam ab alia nec oportet q̄ vna sit extra aliam secundum situm vt patet de corpore christi in sacramento eucharistie. Item non sequit̄ istud est eiusdem rationis sicut prius ergo potest perseuerare in esse sicut prius vt patet de homine vulnerato in corde. Sed nonne medietas minimi naturalis est minor eo si sic ergo datur minus minimo. Dicendum q̄ non dat̄ minus qd̄ possit per se subsistere.

**Ad septimum** dicitur q̄ si minimum diuidatur resoluetur in continens. Et si ponatur in vacuo nō poterit diuidi. Ad aliud dicitur q̄ non datur prima pars motus sed bene datur primum motatum quia forma introducit in ipso minimo per subitam mutationem. Et dico q̄ non semper agens prius alterat partem sibi proximiorē quando pars proximior non est per se susceptiua forme introducende per ipsum agens nec est simile de productione primi minimi et de alijs sequentibus quia partes sequentes non per se subsistunt sed vniuntur prime.

**Ad octauum** dicitur postea. Ad aliud quidam nō habent pro inconuenienti q̄ minimum naturale habeat vltimum instans sui esse. Sed videtur illo concesso q̄ res permanens semper desinit per vltimum instans sui et incipit per vltimum instans non esse quia anteq̄ res corrumpatur semper ē deuenire ad minimum. Forte dicit̄ q̄ quo ad illud minimum res habeat vltimum instans esse. Tunc queritur de forma que in illo minimo immediate post hoc producitur quia cum illa habeat minimum naturale queritur an illud fiet in instanti vel in tempore. Si primum ex quo instans non est immediatum instanti queritur sub qua forma erit materia per tempus medium inter illa duo instantia. Si dicas q̄ minimum forme sequentis producet̄ in tempore sequit̄ q̄ pars producet̄ post partem et sic dabitur minus minimo ideo dicitur aliter q̄ illud minimum non potest subito esse. Si dicas pono q̄ minime carni applicetur vnum agens contrarium quod incipiat corrumpere aliquam partem eius vel aliquam condensare. Non admitto casum dicit venetus primo phi. vnde applicato contrario frigidus. a. minime carni vel minimo igni non immediate post hoc corrumpetur aliqua pars. a. neq̄ condensabitur sed bene alterabit̄ et frigeat immediate post hoc nec est quelibet gradus frigiditatis sequitur aliquis gradus densitatis immo inducet̄ certa latitudo frigiditatis anteq̄ inducatur aliqua densitas et tandem illud minimum habebit primum instans non esse. Sed contra ponamus q̄ minima caro habeat etiam minimā frigiditatem et omnes alias qualitates minimas secundum intensionem et applicetur sibi contrarium. Posset dici q̄ in primo instanti applicationis minimum primo non est sicut actus opinatiu⁹ corrumpitur ab actu scientie in primo instanti sui esse sic q̄ actus opinatiuus tunc non est.

**Ad nonum** negatur antecedens. Et similiter ad aliud licet calefiat non sit maior.

**Ad decimum** dicit. S. T. et Albertus q̄ in mathematicis non datur maximum neq̄ minimum. Ad aliud quidam diceret q̄ albedo christi si relinquatur sue nature corrumpetur quia non est extensa. Sed contra non habet modum quantitatiuus ergo non est corruptibilis. Dico ergo q̄ habet determinatam quantitatem licet non sit extensa. Ad aliud dicunt quidam illa instantia nature nichil esse in re sed solum in intellectu. Sed contra causa est prius natura effectu secluso intellectu dicendum vt supra. Ad aliud dicitur q̄ non sunt indiuisibilia mathematice. idest puncta.

**Ad vndecimum** dicit quidam q̄ delectatio potest tantum augeri q̄ generabit fastidium et sic non necessitabit voluntatem. Sed hoc nichil est quia si et argumentum de tristitia. Dicunt alij q̄ voluntas est infinite virtutis extrinsece sed non intrinsece quia a nullo extrinseco potest vinci et si dicatur difficilis est vincere vnam temptationem q̄ aliam ergo tandem potest superari. Dicendum q̄ verum est si deus permetteret vnde Gregorius in primo dis. prima cōcedit q̄ positus in igne necessario tristatur sed dicunt alij q̄ talis tristitia homini non imputatur sicut dicunt de actibus stultorum. Alij dicunt stultos nullos habere actus voluntatis. Posset dici licet voluntas propter temptationē si non iuaretur a deo non posset aliquando nullum actum habere non tamen necessitari potest. ad habendū hunc actū vel illum ad aliud dicit. S. T. prima parte q̄ bonū